2. Viſio eſt finis vltimus beati: at viſio eſt ſcientia,& ſcientia eſt ſpeculatio, ergo.

Egidius d.quod non eſt nec practica nec ſpeculatiua,ſed magis amatiua, vel affectiua. Probat. Scientia denominatur à fine vt habetur 3.de anima te.co.49.Sed finis Theologiæ eſt charitas, finis præcepti eſt charitas d.Apoſtolus, ergo erit affectiua, vel amatiua. 3. de anima t.Co.49.

S. Thomas d.quod principaliter eſt ſpeculatiua,ſecundario practica. Probat. Scientia dicitur eſſe talis à ſubiecto principali: At ſubiectum principale in Theologia eſt Deus, ſed Deus eſt ens ſpeculabile tantum, ergo Theo.ſpeculatiua, & opus actus ſecundarium.

Scotus vero tenet quod ſit practica,& ſpeculatiua,& ponit contra Doctorem quod non eſt in Intellectu ſed in volũtate.Dicit.Praxis eſt ſm̃ electionẽ hominis energia,ideſt, operatio,ſed electio eſt à volũtate,ergo.

Præterea apparet hoc eſſe de mente Ariſt. 3.de Anima.6.Metaphy.& 6.Ethi. Nam inquit Phil.Voluntas eſt primum principium artificialium, & operabilium, ergo erit in illa.

HIS HOC MODO SATISFACIENDVM venit,& primo Godofredo.

Dicit Godo.quod eſt magis ſpeculatiua quàm practica.R.Illud magis reſpicit duo.

Aut magis reſpicit ſcire, & operari comparatiuè. Aut reſpicit finem Theologiæ. } Si reſpicit dignitatem inter ſcire, & operari, nulli dubium eſt quod eſt magis ſpeculatiua, quàm practica.Quoniam ſcire ſemper eſt nobilius operatione quacunque. Si vero reſpicit finem. Dico quod eſt magis practica, quia finis magis tendit ad operationem quàm ad ſcire. Scire tendit ad caritatem: caritas amat: Amor operatur.

Ad Egidium dicitur quod eſt deceptus. Nam d.quod eſt affectiua. R. quod falſum d.Quia affectus eſt habitus voluntatis:Theologia eſt habitus intellectus, ergo non affectiua ſed ratiocinatiua.

Ad Henricum quãdo d.quòd eſt ſimpliciter ſpeculatiua.R.Theologia bifariã ſumitur 1.modo quatenus Deum reſpicit vt obiectum in ſe,& à ſe,& ſic certum eſt quod eſt ſpeculatiua ſimpliciter.

2. modo quatenus reſpicit finem noſtrum quod eſt operari,& dicitur practica,& magis practica, & hoc modo etiam ſoluimus rationem. S.Thomæ.

Ad Scotum quando d.quod iſta eſt in voluntate propter electionem, electio à voluntate. R quod.

Electio eſt duplex.Electio Iudicatiua & Electio Imperatiua. } Electio iudicatiua eſt Intellectus qui iudicat vera, & falſa: facienda,& non facienda.

Electio Imperatiua quãdo imperat ſic volo vt fiant, aut non fiant talia prima dicitur eſſe de mente Ariſt. quando diffinit practicam, non ſecundam. (ſtat.

Ad illud Ariſtot.voluntas eſt principiũ omniũ artificialiũ,& operabiliũ.Reſp. Voluntatem eſſe principiũ

Tripliciter Primo modo. Antecedenter & diſpoſitiue. 2. modo conſequenter & executiue. 3. modo directiue,& ordinatiue. } 1. modo antecedenter & diſpoſitione quod imperet intellectui vt ędificet Amphyteatrum,Domum,Theatrum,ſic poteſt eſſe. 2. modo conſequenter & executiue quod exequatur id quod excogitatum fuerit ab intellectu, & hoc modo etiam fieri poteſt, & ſic intelligit Phyloſophus.

3. modo vero quod eſt directiue,& ordinatiua: hoc eſt quod ipſa voluntas ſit principium dirigens opus ad finem dico quod non eſt principium, ſed eſt Intellectus. Et ſic remanet quod Theologia ſit magis practica quàm ſpeculatiua.Hoc confirmo ex omnibus libris Mag.

Attendite.In 1. libro Mag.oſtendit Deum eſſe Patrẽ. In 2.libro eſſe artificem. In 3.fratrem & In 4.eſſe Medicum ſed patrem artificem fratrem, & medicum eſſe dicunt magis operationem quàm ſcientiam,ergo magis practica quàm ſpeculatiua Vlterius. } In 1.generatur filius & ſpiratur.Sp.S. In 2.creatur Angel. Homo & mundus. In 3.redimit mundum, & In 4.conſeruat mundum, ſed Generare:creare:redimere,& conſeruare eſt magis operare quàm ſcire, ergo. Theologia eſt magis practica quàm ſpeculatiua. } Vlterius. In 1. communicat naturam. In 2.communicat omnipotentiam qa de nihilo creat In 3. communicat ſapientiam.

Et in 4.communicat prouidentiam, ſed magis eſt communicare quàm ſpeculari, ergo magis practica quam ſpeculatiua. Vlterius.

In 1.apparet menſurarum menſura eternitas. In 2.apparet temporalitas. In 3.apparet plenitudo temporis,ratione incarnationis. In 4.apparet incertitudo temporis propter iudicium futurum. } Sed magis eſt dimetiri, & menſurare q̃ ſcire menſurare,& metiri.ergo Theologia magis erit practica quàm ſpeculatiua.Hæc volui ex mea ſententia addere vt Doctoris mentem magis affirmem vobiſq; morem geram. In ſequenti erit lectio de ſubiecto Theologico. Habuiſtis agitur.

LECTIO TERTIA.

De ſubiecto Theologico. In eſterna lectione audiſtis quòd Theologia dicitur eſſe magis practica quàm ſpeculatiua. In præſenti oportet videre de ſubiecto Theologico,in qua lectione faciam ſex præcipua ſed breuibus me expediam ſex ſolũ proponam.

1. Erit circa difficultatem ſubiecti.
2. Circa diuiſionem ſubiecti.
3. Circa diſcrimen inter ſubiectum, & obiectum.
4. Ponam Doctoris Noſtri opinionem, & confirmationem.
5. Ponam difficultates.
6. Soluam, & ſic erit finis.

} Quo ad primum. Subiectum dicitur eſſe omne ens ſiue Diuinum ſiue naturale ſiue Artificiale ſiue Rationale vt Syllogiſmus de quo paſſiones,vel alia prædicantur. Ita Deus: Cælum: Angelus: Domus,& ſimilia dicuntur ſubiectum, quia De illis dicuntur paſſiones: Vt quod Deus eſt eternus. Cælum incomparabile.Angelus Beatus, & Domus ampla.